PRO PARTE DIDACI DIAZ DE Escobar, Presbyteri, & Ceremoniarum Magistri Ecclesiæ Hispalensis supplicatum fuit, apud Sacr. Rituum Congregationem pro declaratione, an substinendi sint mores infrascripti videlicet.

1. MOs est, in die Depositionis Defuncti, siuè Dominica sit, siuè festum duplex, aut classicum, Missas priuatas de Requiem celebrari, cum ita fieri non debeat, nisi tantum quæ corpore præsente solemniter celebretur, vt in Rub. 5. num. 2. docetur.

2. Item, in primis nouem diebus Depositionis Defuncti, in Altari vbi iacet, Missę de Requiem, tàm solemniter, quàm priuatim celebrâtur, non solum duplicibus festis, & Dominicis, verùm, & in festis classicis, & de precepto.

3. Mos etiam viget multis in locis à die sepulturæ Defuncti nouem per dies Missas celebrari, & in oratione assignata à Missali pro diebus tertio, septimo, & trigessimo addere à secundo die: *Diem secundum, diem tertium, diem quartum*, & sic de reliquis ordinatim perveniendo ad nonum, contra Missalis præceptum.

4. In die sepulturæ Defuncti, Officium dicitur, Missáque corpore præsente, in festis etiam primæ classis, imò, & in primis diebus Paschæ & Pentecostès, non obstante decreto Ritualis Romani titulo, *de exequijs*, aientis ita: *Siquis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis, præsente corpore celebrari poterit: dum tamen Conventualis Missa, & Officia diuina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.* Et plurium, grauissimorumque autorum fert sensus, prædicta fieri non posse in festis primæ classis.

5. In funeribus, etiamsi Defunctus parvulus sit, fit Officium de Adultis, & votiua Missa de Angelis, vnica oratione in duplicibus, & Dominicis. Rogatur, an possit hoc substineri?

6. Cum fit Officium sepulturæ, statim atque incipitur defunctorum Officium, fert consuetudo, Missam simul solemnem celebrari, corpore præsente (& multoties tantum ab ædituo administratam) contra Rituale Romanum, præcipiens, Missam dici post Officium.

7. Nouem per dies ante diem Natiuitatis Domini nostri JesuChristi, ad Auroram solemniter celebrantur Missæ (*vulgo nuncupatæ del Aguilando*) de festiuitatibus Virginis Deiparæ, non solum in diebus feriatis, verùmetiam in festis duplicibus, clasicis, & Dominicis, cum Gloria, & Credo, & vnica oratione, prætextu deuotionis populi. Quarum ad maiorem celebritatem multa fiunt remedio digna, conveniunt enim in Chorum canendi causa plures laici, & quasdam canunt Cantilenas, risum mouentes tempore, locoque nullatenus consentaneas. Huic damno debet opportunum adhiueri remedium, vt penitus emedio tolatur scandalum.

8. In

8. In Missis maioris Hebdomadæ canitur aliquando Passio, non solum à Subdiaconis, verùm, & á laicis, & multoties ab vxoratis contra Ceremoniale Romanum, lib.2.cap.21. vbi præcipitur: *Passionem canentes indui debere Amictu, Alba, Cingulo, & Stolla*, quæ omnia ad Diaconum dumtaxat spectant, & adeò hæc consuetudo invaluit, vt in Missa etiam priuata cantetur Passio, imò, etiam sine illa solus enim Sacerdos quilibet, quin Missam celebret, exit ad Altare cum omnibus paramentis ibique adest dum statimque Passio canitur; quæ omnia non paruo remedio indigere videntur.

9. In tempore publicæ generalisque necessitatis habentur aliquando preces, siuè Rogationes post Calicis elebationem in Missa Conventuali, Missa cessante, quoad vsque in Choro finiantur preces, & multis in locis hæ preces fiunt ante Pater noster, & ab ipso celebrante dicuntur cum orationibus, ipsas interponendo tempore Sacrificij, in quo fit contra Romanum ordinem.

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: Consuetudo, seu, vt melius dicatur abusus, omnes expositi in primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, & nono dubio vti repugnantes Rubricis, & Expositorum opinionibus tolli omnino debent nō sunt enim laudabiles immò scandalosæ, ijs maximè qui amant observantiam bonorum Rituum, & ita declarauit Decreuit, atque præfata omnino tolli mandauit. Die 16. Ianuarij 1677.*

V. Card. Carpineus.

Loco ✠ sigilli.

Bernardinus Casalius, S.R.C. Secret.

IDEM DIDACVS DIAZ DE ESCOBAR, *Presbyter, & Ceremoniarum Magister Ecclesiæ Hispalensis, supplicauit pro resolutione nonnullorum dubiorum circa Rubricas, quæ sunt vt infra videlicet.*

1. OCtauarium Romanum octauam assignat pro festo Sancti Thomæ Apostoli, die 21. Decembris. Dubiũ ergo est, quomodo hoc debeat intelligi cum Regula Tabulæ: *Si occurrat eodem die*, sic aientis, *de alijs octauis, quæ non sunt in Kalendario, nihil fit à die 17. Decembris vsque ad Epiphaniam.* An etiam idem intelligi debeat de reliquis octauis, quæ occurrere possunt?

¶ *Et Sac. Rituum Congr. respondit: In Octuario Venetijs, impresso apud Nicolaum Pazzatũ, anno 1663. nulla est memoria de octaua S. Thomæ Apostoli, miratur, quod sit apud instantẽ, quæ superflua, cum iuxta Rubricas festum Sancti Thomæ, quod cadit die 21. Decembris octauam habere non possit.*

2. Habetur in aliquibus Ecclesijs insignis Reliquia Sancti alicuius, qui cum socio est in corpore Breuiarij, & vterque habent festi simplicis ritum, veluti contingit in festo Sanctorum Gervasij, & Protasij, quorum duæ lectiones vitam, amborumq; mortem enarrant: Dubitatur, an prædictæ duæ lectiones legendæ sint in officio duplici illius, cuius Reliquia habetur, vel sumendæ sint de communi vnius Martyris, & de socio facienda sit tantum commemoratio absque nona lectione, eo quod primæ clasis non sit precipuum officium, de quo loquitur Regula Tabulæ supradictæ: *Si occurrat eodem die?*

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: Si in hoc casu lectiones disiungi commodè possunt; legenda est illa de Sancto cuius fit officium duplex propter Reliquiam insignẽ in 2. noct. & erit 4. lectio: 5. & 6. sumẽdæ sunt de communi. Altera verò lectio poni poterit pro 9. lect. in 3. noct. tanquam de Sancto simplici de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes: si verò non possunt commodè disiungi, vtraq; ponenda est in 2. noct. pro 4. & 5. lect. & 6. legenda est de communi, & in hoc casu lectio 9. pro simplici repetenda non est, fieri tamen debet de eo commemoratio.*

3. In Hispaniarum Regnis die 18. Decembris celebratur festum Expectationis Uirginis Deiparæ, & ne feriales Antiphonæ ad Laudes, & per Horas pro illo die asignatæ omitterentur, Sanctitas Gregorij XIII. fel. record. in Bulla incipiente: *Pastoralis officij Cura*, Motu proprio expedita, decreuit, quod prædictæ Antiphonæ dicerentur á die 16. Dubitatur, an eo quod in Rubrica 7. de octauis, num. 1. prohibetur celebritas, cuiuscumque octauæ inceptæ à die 17. Decembris, vt dictum est antecedenti num. 1. & quia eiusmodi prohibitio fuit facta eo quod prædictæ Antiphonæ dicebantur á die 17. in Hispaniarum Regnis sit omitenda quæcumque octava incepta à die 16?

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: In Regnis Hispaniæ, & vbi contingit incipi Antiph. priuileg. ante festum Natiuitatis Dñi. die 16. Decembris, debet etiã eodem die locum habere regula Rub. de octauis num. 1. quia in eis militat eadem ratio, quæ alibi die 17.*

4. Religiones aliquæ habent celebranda quam plurima festa, quæ prop-

propter occurrentiam cum alijs festis Kalendarij Diœcesis, & insuper cũ festis denuo concessis locum celebrationis non habent in proprio anno: Dubitatur, an in anno sequenti possint celebrare eo ordine quò in Rub. 10. præcipitur?

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: Officia, quæ ex necessitate transferantur locum resumunt prima die non impedita alio officio 9. lect. vt in Rub. de Translatione.*

5. Sacra Rituum Congregatio die 19. Nouembris, anni 1622. prohibuit Missas concessas quibusdam Religionibus: Dubium est, an prædicta prohibitio inteligenda sit de illis Religionibus, quæ secuntur Missale Romanum, vel tantum de ijs quæ idem Missale non secuntur?

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: Intelligi debet de Missis quæ non concordant cum Missali Romano.*

6. Dubitatur tandem, quæ ratio vel forma servanda sit in funeralibus alicuius defuncti, tàm adulti, quàm parvuli in feria 5. 6. & Sabbato maioris Hebdomadæ, hoc enim in Rituali Romano nullatenus expressum invenitur?

¶ *Et eadem Sac. Congr. respondit: Non debet alterari vsus communis aliàs enim omissa non fuisset regula, in Psalmis tamen, qui dicuntur pro parvulis posset omitti, vers. Gloria Patri, &c. pro conformitate temporis, & ita declarauit die 16. Ianuarij 1677.*

V. Card. Carpineus.

Locô ✠ sigilli.

Bernardinus Casalius, S.R.C. Secret.